

Christoph David Anton Martini

Persequvtiones Christianorum Svb Imperatoribus Romanis, Causae Earvm Et Effectvs


Commentatio III. : Pentecostes Solemnia Pie Celebranda Indicit

Rostochii: Litteris Adlerianis, MDCCCIII.

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1005151709>

Band (Druck) Freier  Zugang





T. 512.

1803. Pfingsten.

~~A-1256.~~ 431. d.

H. 1803
PENTECOSTES SOLEMNIA

PIE CELEBRANDA

INDICIT

D. CHR. DAV. ANT. MARTINI

SERENISS. DVCI REGN. A CONSILIIS CONSISTORII

THEOL. PROF. PVBL. ORD.

ACADEMIAE H. T. RECTOR.

*PERSEQVVTIONES CHRISTIANORVM SVB
IMPERATORIBVS ROMANIS, CAVSAE EARVM
ET EFFECTVS. COMMENTATIO III.*

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS
MDCCCIII.

PHYSICUS SOUTHERN

PHYSICUS SOUTHERN

PHYSICUS SOUTHERN



PHYSICUS SOUTHERN

PHYSICUS SOUTHERN

PHYSICUS SOUTHERN

PHYSICUS SOUTHERN

PHYSICUS SOUTHERN

PHYSICUS SOUTHERN

(Continuatur sectio prima.)

Expeditis iis, quae de statu et conditione Christianorum sub TRAIANO et HADRIANO cum aliqua fide tradi possunt, rerum ordo nos ducit ad tempora ANTONINORUM. Quod si quid valet unanims antiquitatis consensus, ex omnibus, quos unquam in summo fastigio fortuna collocavit, non alii fuerunt, qui populis regendis aptiores et digniores habiti essent. Nihilominus iisdem imperantibus gravissima vexatio, *quintam* plerique esse volunt, Christianae disciplinae addictos afflixisse fertur, quamquam, qui ita statuunt, non eodem modo rationes subducunt. Alii enim persecutionem ab Hadriano coeptam sub ANTONINO PIO continuatam, novam vero eamque multo acerbioram a M. AURELIO ANTONINO excitatam esse volunt. Alii vero novam vexationem iam ab ANTONINO PIO commotam, ab eodem vero temporis progressu mitigatam, a M. AURELIO et quidem multo saevius et crudelius instauratam esse defendunt. Sed missis inanibus quaestionibus in eo elaborabimus, ut, quantum huius libelli angustiae capiunt, veram conditionis externae Christianorum sub utroque imperatore Romano imaginem ob oculos sistamus.

Ad ANTONINUM PIUM, unum omnium, qui unquam fuere, principem optimum quod attinet, confidenter pronuntiare licet, e numero persecutorum nominis Christiani prorsus eum eximendum esse. Sacra enim avita licet conservanda et tuenda putaret, hoc

nomine quoque cum Numa ille comparatus et ob insignem erga caeremonias publicas curam ac religionem marmoribus etiam et numis celebratus ¹⁾, nullo modo tamen vexationem Christianorum vel imperasse vel probasse dici potest. Ex apologia quidem, quam Iustinus ei obtulisse fertur, et e fragmento Melitonis, quod Eusebius servavit ²⁾, illud non sine ratione colligi potest, nec Antonini aevo defuisse, qui Christianorum odio incitati, crimina iis intentarent, clandestinis partim artibus ac molitionibus, partim clamoribus ac vociferationibus in eos grassarentur, magistratus quoque adversus eos commoverent et concitarent; enimvero calamitatum auctorem fuisse Antoninum, per omnem Romanum orbem in Christianos saevitum multumque sanguinis Christiani eo regnante effusum esse, eius rei ullus idoneus testis afferri nequit. Quin potius, si Melitoni fides habenda est, ad varias civitates, nominatim ad Larissacos, ad Thessalonicenses, Athenienses, universos denique Graecos rescripta misit, quibus vetaret, ne contra Christianae sectae addictos tumultus excitarentur. Nec audiendi sunt, qui Iustinum M. eum demum apologia oblata ad benigniorem erga Christianos mentem inflexisse, cum Orosio ³⁾, qui *ad suam opinionem* id tradit, sibi persuadent. Eiusmodi enim libros apologeticos, quamquam eo consilio scripti erant, ut, si forte in eos incidissent imperatores, eorum benevolentiam

Christianis

¹⁾ Vid. *Pausanias* VIII, 43. T. II. p. 485. ed. Facii. *Capitolin* in vita Antonini Pii c. XI. p. 277. c. XIII. p. 285. *Fabrettus* inscript. c. X. n. 62. *Eckhel* doctrina numor. vet. P. II. Vol. VII. p. 29 sq.

²⁾ H. E. IV, 26. p. 190. ed. Read. (p. 243. ed. Stroth.)

³⁾ VII, 14. p. 491. Haverc. (In *Gallandii* bibliotheca PP. T. IX. p. 141.)

Christianis conciliarent, nunquam in conspectum eorum venisse, certe ab iis non lectitatos esse, ut statuamus, multa sunt quae suadent ⁴⁾. Potius animi probitas, aequitas et humanitas in causa fuit, cur nec Christianis, a patriis religionibus dissidentibus, gravis esset, nec hostiliter eos tractandos censeret ⁵⁾.

Sed ut de ANTONINO PIO res satis expedita est, ita maioribus difficultatibus quaestio obsepta esse videtur, num M. AURELIUS ANTONINUS, qui post eum imperii fasces capessivit, persecutoribus Christianorum annumerandus sit necne. In diversas partes disputatum esse a viris doctis satis constat, nonnullis hac culpa prorsus eum liberantibus ⁶⁾, plurimis autem pro contraria sententia acerrime pugnantibus. Eminent in his, ut alios taceamus, MOSHEMIUS, qui M. Anto-

⁴⁾ Sic, ut simili recentiorum temporum exemplo utamur, I. Calvinus institutiones suas *Francisco* I. Gallofrancorum regi dedicavit. Sed quis est, qui ab eo illas lectas esse sibi persuadeat?

⁵⁾ Consentit in hoc iudicio Xiphilinus in compendio *Dionis* LXX, 3. p. 1173. quamquam non Dionis, cuius narratio de rebus gestis Antonini P. iam suo tempore interierat, sed aliorum scriptorum auctoritatem sequutus. „Ο γαρ Αντωνινος, αιτ, ομολογειται παρα παντων καλος τε και αγαθος γενεσθαι, και ουτε των αλλων υπηκοων τιτι βαρυσ, ουτε χριστιανοις επαχθης, (hactenus satis recte, quae sequuntur ex coniectura apposita videntur) αλλα πολλην τινα τουτοις νεμων αιδα, και τη του Αδριανου τιμη, ην εκεινος ετιμα χριστιανους, προστιθεισ. — Sulpit. Sever. II, 32. „Antonino Pio imperante pax ecclesiis fuit.”

⁶⁾ Sic v. c. celeb. *Meiners* de M. Aurelii Antonini ingenio, moribus et scriptis, in commentat. soc. sc. Goett, T. VI. p. 117. not. m.

Antoninum tertium locum post Neronem et Domitianum inter vere et proprie dictos Christianorum persecutores mereri contendit ⁷⁾, et MÖYLIUS Anglus, vir doctissimus et acutissimus, qui in singulari dissertatione de hoc argumento edita omnem lapidem movit, ut gravissimas vexationes ab Antonino, Christianis infensissimo, in eos excitatas esse defenderet ⁸⁾. Longum esset singula excutere, quae a duumviris celeberrimis ad hanc sententiam firmandam et stabiliendam in medium allata sunt. Potiora tamen, et quae momenti aliquid habere videri possunt, ut sub examinis subtilitatem vocemus, et aequa trutina expendamus, ipsa instituti ratio flagitat.

M. AVRELIO ANTONINO imperante passim Christianos, in Asia praesertim et Gallia, vexatos et exagitatos esse, alios in vincula coniectos, alios in exilium pulsos, contumeliis alios et tormentis affectos esse, nonnullos mortes etiam et supplicia subiisse, historiarum fide omnino ita firmatum est, ut nullo modo negari possit ⁹⁾. Memorantur etiam inter Martyres, qui pro Christiano nomine

⁷⁾ in commentar. de rebus Chr. ante Constantin. p. 242. sq.

⁸⁾ V. illius discourse to prove M. Antoninus a persecutor in T. I. collect. the theological repository. Theodisce conversa haec dissertatio legitur in Brittschem Theolog. Magazin Vol. II. p. 705 — 756. Caeterum ut variae doctrinae copiam ingenique acumen in viro eruditissimo facile agnoscas, ita criticam subtilitatem non raro desideres. Certe seriorum scriptorum commenta cum iis quae ex scriptoribus fide dignis hausta sunt, eodem loco habentur, vera et falsa, dubia et explorata, eadem lance appenduntur.

⁹⁾ Inspicienda saltem sunt loca haec: Iustini M. Apolog. II. c. 1—3. coll. Euseb. H. E. IV, 16. 17. Epistola ecclesiae Smyrn. de Martyrio Polycarpi, in Cotelerii PP. Apostol. Vol. II. P. 195-204. ed.

nomine occubuerunt, viri insignes, Iustinus, Polycarpus, Photinus, alii¹⁰⁾. Ex hac tamen re in facto posita nondum satis tuto colligi posse, harum vexationum et miseriarum auctorem fuisse imperatorem, ipsi, qui hanc sententiam tuentur, viri docti, negare non sustinent. In eo ergo illos occupatos esse videas, ut firmiora sententiae suae fundamenta substruant. Itaque *primum* monent, M. Antoninum, quicquid de sapientia et virtute eius iactetur, superstitione devinctum fuisse, animo praeterea a Christianis prorsus alienato, cuius

ed. Cler. cuius potiore partem Eusebius historiae suae inseruit IV, 15. Melitonis fragm. ap. Euseb. IV, 26. Epist. ecclesiar. Lugdun. et Vienn. de martyrio Photini etc. ap. Euseb. H. E. V. 1. sqq. et in *Ruinartii* actis mart. prim. p. 48. sq. Athenagoras legat. pro Christian. sub init. et passim.

¹⁰⁾ de Iustino tamen res minus explorata. Eusebius, qui turbato temporum ordine martyrium eius assignat a. XIII. Antonini Pii (V. Chron. ad h. a. in editione opp. Hieronymi Vallarsiana T. VIII. p. 714.) in H. E. IV, 16. p. 176. ut Crescentis, philosophi Cynici, malis artibus ad supplicium eum raptum esse demonstrat, provocat ad testimonium Tatiani orat. contra graec. c. 19. (p. 260. ed. Ben.) Sed e loco Tatiani illud solum effici potest, Crescentem vitae illius insidias struxisse. En verba eius: Crescens tantopere formidabat mortem, *ως και Ιουστινων και Θαπερ και εμε ως κατω τω θανατω περιβαλειν πραγματευσασθαι*. Eusebius verba *καθαπερ και εμε* perperam neglexit. Forte fama antiqua de Crescente martyrii Iustini auctore non alium fundum habet, quam quod Iustinus Apol. II. c. 3. p. 90. extrema quaevis ab eo, sibi infensissimo, se expectare profitetur. Certe Acta martyrii illius (ap. Ruinart. p. 43. sq. et in ed. Ben. opp. Iustini p. 585 sq.) spuria sunt et subdidititia.

cuius rei in ipsis commentariis, quos sibi scripsit, hodieque extantibus, luculenta vestigiaprehendantur. Hinc pronum esse ad intelligendum, eum Christianos, qui maiorum sacra contemnebant et irridebant, potius coercendos et extirpandos, quam servandos et tuendos iudicasse. Ita inprimis Moylium disputare videas ¹¹⁾. Sed vereor, ut res accuratius inquirenti haec ratiocinatio probari possit. Omnino patrii religionibus addictus fuit M. Antoninus, patrii cultus instituta religiose servavit, persuasionesque, quas ipsa antiquitas multorumque saeculorum decursus consecrasset videbatur, non convellendas esse iudicavit ¹²⁾. Itaque si omnes eos inter superstitiosos referre placet, qui opiniones religiosas tuentur, quae nobis, melioris philosophiae luce collustratis, futes et inanes, et maiestate summi numinis indignae videntur, omnino fatendum est, a superstitione praestantissimum principem non intactum fuisse ¹³⁾. Enimvero ut haec res facilem admittit excusationem

¹¹⁾ l. c. p. 707 sq.

¹²⁾ cf. Capitolin. in M. Antonino c. 13. p. 40. c. 21. p. 368. — Hinc etiam in numis eius inusitata hactenus epigraphe legitur: RELIGIO AUGUSTI. Vid. *Eckhel* l. c. p. 60. coll. p. 52. *Rasche* lexicon rei numar. Tom. I. p. 1358.

¹³⁾ Vid. inprimis loca notissima ap. *Ammian. Marcell.* XXV, 4. (al. 5.) p. 342. ed. *Ernesti*; et ap. *Lucian.* in *Pseudomanti* opp. T. IV. p. 315. ed. *Schmid.* — Caeterum de superstitione M. Antonini a multis multa disputata sunt. Vid. quos laudat *Reimarus* ad *Dion. Cass.* LXXI, 9. p. 1183. §. 46. Est autem hoc iudicium his finibus circumscribendum, quod ad fidem suam et religionem referebat antiquorum institutorum a maioribus acceptorum auctoritatem et sanctitatem, ut bene monuerunt *Meiners* l. c. p. 125. et b. *Garve* in *Fragment. zur Schilderung Friederichs II.* p. 15. sq. Quae cum patrii moribus

tionem, si ad animi eius nativam indolem, ad primaevam institutionem, quae etiam cordatissimum quemque non plane deserit, et ad sectae stoicae, cui se addixerat, placita animum advertas; ita, quod persecutorem Christianorum egerit, eo minus inde colligi potest, quo magis constat, quanta cum patientia diversas aliorum opiniones tulerit, quo quidem vere philosophum se probavit; quin tanta eius fuit lenitas, ut ne malis quidem irascendum esse putaret, hominumque vitia eadem magnanimitate ferenda esse existimaret, qua alia naturalia et necessaria incommoda sapientissimus quisque excipit ¹⁴). Quae quidem ad animum revocata eo certe valent, ut, nisi diserta iniuriarum Christianis ab eo illatarum testimonia exstent eaque omni exceptione maiora, non in tractandis Christianis suam ipsius naturam humanitatemque exuisse censi possit. Quod vero coecam quandam rabiem; qua in necem se offerant, Christianis sui temporis obicit ¹⁵), haec
accusatio

moribus et institutis pugnabant, nec Stoicorum auctoritate comprobata erant, opinionum monstra et portentia ipse tanquam *δειτιδαίμωνιαν* quam maxime refugiebat et damnabat. V. *εις εαυτων* I, 6. VI, 30. cf. *Eckhel* l. c. P. II. Vol. VII. p. 53. sqq.

¹⁴) Loca ex commentariis eius huc facientia congesta vide ap. *Meiners* l. c. p. 133. et ap. *Reche* in der erlæuternden Darstellung der stoischen Philosophie, nach dem Sinne Antonins (quae subiuncta est versioni theodiscae commentar. M. Antonii) §. 41. sq.

¹⁵) *εις εαυτ.* XI, 3. p. 390. ed. *Schulz.* ubi postquam promittit moriendi et e corpore emigrandi laudaverat, addit: *το δε ετοιμοι τουτο. ινα απο ιδικης κρισεως ερχηται, μη κατα ψιλην παραταξι, ως οι χριστιανοι*: haec autem promittitudo videndum

accusatio fundo non destituta, (certum enim est, fanaticam quandam martyrii subeundi cupiditatem multorum animos tunc temporis occupasse ¹⁶) profecto non hanc vim habere potest, ut propterea feralia edicta, quibus vexatio Christianorum mandaretur, promulgasse censi debeat.

Enimvero non in probabilitatis iudicio subsistendum esse clamant, qui adversas partes tuentur, certa enim historiarum fide constare, *conscio et consentiente* M. Antonino a provinciarum rectoribus in Christianos saevitum esse ¹⁷). Quam in rem, ut alia, quae nullius momenti sunt, praetermittamus, Athenagorae loco quodam innititur *Moyleus*, quem infra apponemus, qui vel solus rem conficere posse illi

est, ut a iudicio proficiscatur, non ex mera obstinatione, quemadmodum in Christianis. Haffnerus in diss. infra laudanda verba *κατα ψ. παραταξιν* verti vult: more velitum s. levis armaturae militum. Sed ita dicendum fuisset *κ. π. των ψιλων*. Non abhorret ab usu loquendi recepta *ν. παραταξις* interpretatio. Vid. 8, 48. et Arriani diss. Epict. I, 5. 3. Tom. I. p. 29. edit. *Schweigh.* — cf. similem locum Arriani IV, 7. 6. p. 618. quamquam ibi *Schweighaeusero* (V. T. II. p. 915.) lectio suspecta videtur.

¹⁶) *Lucian* de morte Peregrini T. IV. p. 429. sq. de Christianis: *πεπεικασι - αυτους - το μεν ολον αθανατοι εσεσθαι, και βιωσεσθαι τον αι χρονον. παρ'ο και κατα φρονουσι του θανατου και εκοντες αυτους επιδιδοασιν οι πολλοι.* Quod quidem vere dictum esse, multis scriptorum eccles. locis firmari potest. cf. locum Tertulliani in comment. nostra II. n. 26. et Paetz. comm. de vi, quam rel. christ. per tria priora saecula ad hominum animos etc. habuit, pag. 42 sqq.

¹⁷) V. *Moyle* I. c. p. 724. sq.

illi visus est ¹⁸⁾. At si animo a praecjudicatis opinionibus libero ad locum accedas, non nisi querelas eum continere videas de variis miseriis, quibus Christianae sectae addicti pessimorum hominum artibus et fraudibus premerentur, et obsecrationem, ut rationibus Christianorum diligentiore cura adhibita imperator prospicere, eosque a sycophantarum, qui confictis criminibus atrocibus in bona et famam eorum grassentur, imo vitae eorum insidias struant, defendere et vindicare ne dedignetur. Sic Iustinus quoque in apologia, quam M. Antonino exhibuisse fertur, non ipsum imperatorem, sed Christiani nominis inimicos, magistratus et iudices accusat, a quorum saevitia et truculentia multae calamitates in Christianos promanent, ut ad eum de vita periclitentur ¹⁹⁾. Non utar hoc loco observatione, quamquam per se verissima, scriptores Christianos fere ubivis, ubi de calamitatibus Christianorum sermonem instituunt, eventa praeter rem et

B 2

veri-

¹⁸⁾ Athenagor. leg. pro Christ. c. I. p. 280. (p. 8. sq. ed. Oxon.)

Ἡμεῖς δὲ οἱ λεγόμενοι χριστιανοὶ, οὐ μὴ προειρησθῆτε καὶ ἡμῶν, συγχαρῆτε δὲ μηδὲν ἀδικούντας — ἐλευθεσθῆτε καὶ φερεσθῆτε καὶ διακесθῆτε, ἐπὶ μόνῳ ὀνόματι προσπολεμούντων ἡμῶν τῶν πολλῶν, μὴ γινῆσθαι τὰ καθ' ἑαυτοὺς ἐτολμησάμεν — καὶ δεόμεθα ὑμῶν καὶ περὶ ἡμῶν τι σκεψασθῆτε, ὅπως παύσασθε ποτε ὑπο τῶν συκοφαντῶν σφαττομένων· οὐδὲ γὰρ εἰς χρεμάτια ἢ παρὰ τῶν διακονούντων ζημία, οὐδὲ εἰς ἐπιτίμιαν ἢ αἰσχύνην, ἢ εἰς ἄλλο τι τῶν μείζονων ἢ βλάβην — ἀλλ' εἰς τὰ σώματα καὶ τὰς ψυχὰς, ὅταν ἀπειπώμεν τοῖς χρεμασί, ἐπιβουλευούσιν ἡμῶν, κατασκεδάζοντες ὄχλον ἐγκλημάτων etc.

¹⁹⁾ V. Iustin. Apol. II. c. I. p. 88 sq.

verisimilitudinem amplificare et verbis exaggerare. Hoc dico, in vasto orbe Romano, in ea praesertim, quae istis temporibus regnabat, ingeniorum, morum et studiorum corruptela multa in scio et invito imperatore, licet is non, ut nonnulli criminantur, solis meditationibus philosophicis animum pasceret, sed in rebus agendis alacritatem et animi robur indefessum praestaret, fieri potuisse et vere facta esse, ut itaque vanum sit iudicium eorum, qui, quaecumque magistratum et praesidium vel socordia vel malitia acerba Christianis accidebant, ea principi imputanda esse, temere sibi persuadent.

Sed longius etiam progressi, qui Christianorum persecutoribus M. Antoninum annumerant, edictorum memoriam superesse contendunt, quae ab eo contra Christianos scripta et promulgata sint. Cui quidem rei ut fidem faciat Moylius ²⁰) primo loco, Baronio praecunte, bina Marci edicta laudat, alterum ab Ulpiano servatum, et his verbis conceptum: *Divus Marcus eum, qui motu Cassiano vaticinatus erat, et multa quasi instinctu deorum dixerat, in insulam syrum relegavit; cui haec adscripsit Ulpianus: Et sane non debent impune ferri eiusmodi homines, qui sub obtentu et monitu deorum quaedam vel renuntiant vel iactant, vel scientes eos fingunt* (l. vel scientes effingunt s. confingunt): alterum e Modestino in digestorum corpus illatum, huius argumenti: *Si quis aliquid fecerit, quo leves hominum animi superstitione numinis terrerentur, divus Marcus huiusmodi hominem in insulam relegari iussit* ²¹). Utrumque edictum

²¹) l. c. p. 737 sqq.

²²) Fragmentum Ulpiani e l. VII. de officio Proconsulis servavit auctor collat. legum Mosaic. et Roman. tit. XV. apud Pitheum opp. p. 109. ap. Schulzingium in iurisprudencia Anteiustiniana p. 786 sq. ed. Lips. 1737. Alteram constitutionem habes in Digest. Lib. XLVIII. tit. 19. l. 30.

edictum ad Christianos referendum esse satis confidenter pronunciat *Moylius*, quippe qui vaticiniis et praedictionibus, inprimis de interitu Romani imperii propediem instante, e libris confictis sibyllinis, Hystaspis aliisque eiusdem furfuris petitis magnum metum Romano orbi iniicisse putandi sint. Sed neutrum edictum ad causam suam obtinendam aliquam vim habere, facile probari potest. Ad prius enim quod attinet, tum contextus series apud Ulpianum ²²⁾ tum exemplum hominis, qui rebellionem Cassianae vaticiniis opem tulerat, satis superque demonstrant, non de Christianis illud esse intelligendum, sed potius de veteratoribus, qui fictis oraculis ad promovendas seditiones et rebelliones abutebantur. Nec magis alterum edictum eo valet, ut M. Antoninus Christianos persecutus fuisse demonstretur. Fac hac constitutione contra eos lata, *qui leves hominum animos superstitione numinis terrerent*, eiusmodi Christianos notari, qui vaticiniis, quae iactabant, rempublicam turbarent, propterea M. Antoninus religionem Christianam eiusque assecclas universos insectatus esse dici posset? Profecto non magis, quam magistratus, qui saeculo XVI. Monasteriensium superstitionem severis legibus coercendam putabant. Sed nulla, ne levissima quidem, ratio adferri potest, cur ista constitutio nominatim ad supersticiosos e Christianis referatur. Quodsi verba latissima significatione accipias, pertinet ad omnes, qui superstitionem suam aliis inculcando, metu

numinis

²²⁾ Incipit fragmentum: *Interdicta est Mathematicorum callida impostura et obstinacitate (f. obstinacitatis) persuasio*. Deinde ubi plurimas leges de mathematicis praemiserat Ulpianus, addit vaticinatores quoque plectendos esse, *quia nonnunquam contra publicam quietem imperiumque populi Romani improbandas artes exercent*. Tandem ita finit: *Denique et D. Marcus etc.*

numinis adiecto, hominibus levibus et vanis terrorem incuterent, sive bona fide id facerent, sive religionem pessimis consiliis suis praetexerent. Eiusmodi hominum aetatem istam feracissimam fuisse, nemini nisi historiae illius temporis plane experti obscurum esse potest ²³⁾. Itaque cur ad solos Christianos lex restringatur non apparet. Sed rectius et apte ad ingenium M. Antonini, *qui omnia crimina minore supplicio, quam legibus plecti solebant, puniebat* ²⁴⁾; constitutio refertur ad eos, qui deorum numen sceleribus suis praetendebant et divina mentiebantur, vel eo consilio, ut crumenis superstitiosorum insidiarentur, eosque bonis suis emungerent, qualis fuit impostor ille insignis, Alexander, qui temporibus M. Antonini vixit, cuius picturam ad vivum delineatam in elegantissimo libello dedit Lucianus ²⁵⁾, vel ut ad rerum novarum molitionem animos impellerent, et rapinis, tumultibus et rebellionibus locum facerent ²⁶⁾. Et hanc quidem interpretationem, quam postremo loco posui, omnino inprimis propter fragmentum Ulpiani supra allegatum praefendam puta-

²³⁾ cf. si lubet *Meinersii* Beitrage zur Geschichte der Denkart der ersten I. H. nach Christi Geburt p. 41. sq. *Drük* orat. über die Aehnlichkeit der Verirrungen des menschlichen Verstandes in zwei verschiedenen Zeitaltern, Stuttgart. 1786. *Wieland* praefat. ad versionem Luciani T. I. p. XXX sq.

²⁴⁾ Capitolin. in vita M. Antonini c. 24. p. 381.

²⁵⁾ V. Pseudomantis in opp. Luciani T. IV. p. 249. sq. ed. Schmid.

²⁶⁾ Rei illustrandae inservit locus Capitolini c. 13. p. 339. ubi memoratur planus quidam, qui diripiendae urbis occasionem cum quibusdam consciis requirens de caprifici arbore in campo Martio concionabundus ignem de coelo lapsurum finemque mundi affore dicebat, si ipse lapsus ex arbore in ciconiam verteretur, et cum statuto tempore decidisset, ex sinu ciconiam emisit.

putaverim ²⁷). Utcunque autem rescriptum imperatoris accipias, sive ad unam sive ad plures species quietis et tranquillitatis publicae pravis religionibus turbatae illud revocandum putes, vanum esse apparet enunciatum Moylii, qui M. Antoninum hac lege scribenda vexationem in Christianos excitasse affirmat. — Maiorem speciem habet, quod Melito in libello apologetico, quem imperatori exhibuisse fertur, mentionem iniicit decretorum novorum eorumque dirissimorum, quae in Asia promulgata impudentissimis delatoribus et alienis opibus inhiantibus occasionem opportunam dederint, palam grassandi Christianosque innocentes bonis suis exuendi ²⁸). Itaque non Moylium solum sed Moshemium quoque huic loco ad causam suam firmandam plurimum tribuere videas ²⁹). Nec tamen, si severius inquiras, ea satisfaciunt. Primum enim, cum decreta, quae iactat, non apposuerit Melito, quanam eorum ratio fuerit, quod consilium, non integrum nobis est ad iudicandum. Deinde ipse se dubitare profitetur, num ab imperatore profecta sint, quae

²⁷) cf. omnino *Bynkersboeck* observat. iuris Romani l. VI. c. 5. vol. II. p. 103-108. ed. Heineccii.

²⁸) ap. Euseb. H. E. IV, 26. p. 189. 190. (p. 241. ed. Stroth.)
 „το γαρ ουδε πωποτε γενομενον νυν διακεται το των θεοτεβων
 γενος, καινοις ελανομενον δογμασι κατα την Ασιαν. Οι γαρ
 αναιδεις συκοφανται και των αλλοτριων ερασται, την εκ των
 διαταγματων εχοντες αφορμην, φανερωσ ληστευσουσι, νυκτασ
 και καθ' ημεραν διαρπαζοντες τους μηδεν αδικουντας. Μοχ
 καινον illud διαταγμα tale esse ait, ο μηδε κατα βαρβαρων
 πρεπει πολεμιων.

²⁹) V. *Moyl.* l. c. p. 745 sq. *Moshemius* l. c. p. 242. sq.

quae dubitatio quomodo locum habere potuerit, si edicta in fraudem Christianorum lata imperatoris auctoritate proposita et promulgata fuissent, non apparet. Denique nihil obstat, quominus haec *δογματα* ad magistratus urbicos tanquam auctores referantur. Itaque qui Christianorum vexationem peculiaribus edictis M. Antoninum imperasse defendunt, vereor ut sententiae suae praesidium ex hoc Melitonis enuntiato probabili ratione repetere possint ³⁰).

Unum restat argumentum, quo imprimis se iactant huius causae patroni, quodque, si Moylium audias, tantae est virtutis, ut nullo modo labefactari possit³¹). Scilicet in epistola nobilissima ecclesiarum Lugdun. et Vienn. de vexatione, quae coetum Christianum in Gallia afflixerit, refertur imperator, cum de Attalo quodam, uno eorum, quorum necem populi furor flagitabat, eoque Romano, quemadmodum etiam de reliquis Christianis, qui carcere inclusi tenebantur, ad eum praeses Lugdunensis retulisset, in hanc sententiam rescrip-

³⁰) Est locus apud Athenagorum legat. pro Christ. c. 4. p. 17. ed. Oxon. (c. 3. p. 282. ed. Bened.) cui itidem multum ad causam suam obtinendam tribuit Moylius l. c. p. 346. e quo tamen multo minus etiam id quod vult colligi potest. Contra alius est locus apud eundem, qui Moylii opinioni prorsus repugnat, quanquam prava interpretatione causam suam adiuvari ei visus est l. c. p. 725. Nimirum c. 29. p. 132. ed. Oxon. (c. 34. p. 311. ed. Ben.) dicuntur ethnici *contra leges* ab imperatoribus ad omnem aequitatem descriptas Christianis vim inferre (*παρεα τωτους* sc. *νομους αυτους βιαζομεν*.) Quae statim subiicit, missos ab imperatoribus provinciarum rectores causis Christianorum audiendis vix sufficere, accusatorum quidem multitudinem et licentiam probant, non autem leges contra Christianos latas arguunt.

³¹) l. c. p. 749 sq.

rescripsisse: *Confitentes* (Christianismum) *gladio caedendos, quicumque vero negaverint, incolumes dimittendos esse*³²). Quo quidem rescripto, aiunt, iniquissimum M. Antonini erga Christianos animum in clarissima luce collocari, nec dubitari amplius posse, quin eos ad relicta maiorum sacra redire recusantes capitali poena adficiendos putarit. Hanc argumentandi rationem prima specie satis verisimilem esse, equidem non negaverim. Quominus autem certam et extra dubitationis aleam eam positam esse putem, plura sunt quae obstant. Primum si quis rem vere ita gestam esse subdubitaret, eum nec levitatis nec audaciae accusandum existimarem. Sunt enim et alia in hac epistola, quae ab auctore, quisquis fuerit, non ex fide historica, sed ad opinionem suam et ad rumorem incertum tradita esse videntur. Illine soli credas, quod nullo alio locuplete teste firmatur, et M. Antonini compositis moribus quam maxime repugnat? Sed fac, eum ita, ut fertur, rescripsisse. Ne sic quidem inde colligi posset, eum Christianos propter religionis suae formulam puniendos existimasse. Narrantur in eadem epistola vilissimi quidam homines comminationibus adacti nefanda crimina, quorum postulabantur Christiani, testimonio suo firmasse. Nonne itaque res ipsa flagitat, ut statuamus, praesidem imperatori nuntiasse, Christianorum nonnullos in iudicium vocatos nefariorum scelerum convictos esse? Quo facto si capitali
poena

³²) ap. Euseb. H. E. V, 1. p. 207. Τους μεν ομολογουτας (voc. ομολογουτας nimirum, quod librariorum negligentia excidit, necessario textui inserendum est. cf. *Stroz* p. 265. n. 90.) αποτυμπανισθησαι (h. e. την κεφαλην αποκοπησαι). Ει δε τινες αρνησντο, τουτους απολυθησαι.

poena in eos animadvertendum censebat M. Antoninus, non tam religionis Christianae, quam criminum et flagitiorum, quibus nonnulli e coetu eorum se commaculasse ferebantur, hostis habendus esset. Reprehendendi copiam praebere, quod nimis incaute delatoribus iniquis fidem adiunxisset, nec tamen adversus Christianos solius religionis causa feralia edicta promulgasse dici posset³³). Sed iamdudum vereor, ne tota illa narratio de rescripto huius talis argumenti ex incerto rumore profecta sit.

Ex adhuc dictis manifestum est, quam lubricis vestigiis nitatur iudicium eorum, qui M. Antoninum edictis propositis in Christianos saevisse contendunt. Certe nullum idoneum eius rei testimonium afferri potest, quo tamen in hac causa eo magis opus foret, quo magis constat, nulla alia virtute magis, quam clementia gloriatum esse M. Antoninum. Orosii enim, qui graves in Asia et Gallia persecutiones praecepto eius exstitisse tradit³⁴), et si qui iuniores scriptores idem referunt, nulla in hac re est auctoritas. Tertullianus quidem tantum abest, ut in eorum, qui Christianos vexarunt, numero eum habendum esse putet, ut potius nullas ab eo leges contra illos promulgatas esse expressis verbis adfirmare non dubitet³⁵). Quod quidem argumentum non ignoro ita eludere adversarios, ut dicant, manifesto laborasse Tertullianum, ut optimum quemque principem mitius cum Christianis egisse probaret. Enimvero si persecutio a M. Antonino imperata fide alicuius scriptoris aequalis vel aetate proximi tradita ac firmata fuisset, rem certo traditam quomodo confidenter negare susti-

³³) Ipse Moshemius, quamquam M. Antonino satis iniquus, rem aliter vix cogitari posse concedit l. c. p. 247 sq.

³⁴) VII, 15. p. 492. (in Gallandii biblioth. IX. p. 142.)

³⁵) Apologet. c. 5. T. V. p. 16. ed. Semler. (p. 62. 63. ed. Haverc.)

sustinisset, non assequor. Itaque ad calamitates, quas M. Antonino regnante perpassi sunt sectae Christianae addicti, quod attinet ³⁶⁾, culpam earum in populi concitati furorem reiciendam esse nullus dubito. Firmatur haec eadem sententia actis, quae aetatem tulerunt, vexationis Smyrnenensis et Lugdunensis. Utraque enim inter ludorum et spectaculorum solemnia a plebe furibunda concitata esse memoratur. Nec aliter in universum statuebat Eusebius, quippe qui in

C 2 nonnullis

³⁶⁾ Singulae vexationes optandum esset ut ad temporum rationes accurate revocari possent. Sed in tanta veterum in temporum notationibus negligentia in plerisque ultra probabilitatem assurgere non licet. Iustini Apol. II. ex qua, quoniam in ea Ptolemaeus et Lucius propter Christianae religionis professionem ab Urbico praefecto damnati leguntur, persecutionem Romae quoque saevuisse colligunt (nescio, quam recte), probabiliter ad a. 162. referri docuit Pagi crit. Baron. ad a. 162. n. II. III. IV. Polycarpi et sociorum eius martyrium cum Eusebio in Chron. ad a. 167. revocant. V. Pagi ad a. 167. IV. V. Barazier in disquisit. chronol. de success. antiq. episcopos. Rom. p. 194. multus in eo est, ut a. 161. illud contigisse demonstrat. Sed nihil certi de eo definiri potest. Melitonis apologia a. 168. exarata esse videtur. Vid. Pagi ad a. 170. n. III. Athenagorae deprecationem pro Christianis, quam Dodwellus ad. a. 168. Pagi ad a. 166. referebat (V. Pagi crit. ad a. 177. n. VIII - V.) non ante a. 176. scriptam esse, probabili ratione effecit Moshemius in diss. ad histor. eccles. pertin. Vol. I. p. 372-319. Vexationi Lugdunensi autem cum Eusebio H. E. V. 1. annum 177. assignandum esse contra Blondellum, qui ad a. 167. eam revocandam statuebat, assentiente Dodwello de pauc. Martyr. §. XXXVI. docuerunt Valesius ad Eusebius l. c. Pagi ad a. 177. n. IV - VI. et Moshemius in observat. sacr. et historico-critic. l. I. c. III. §. X. p. 172 sq.

nonnullis orbis Romani partibus violentiorem adversus Christianos persecutionem tumultu et concitatione populari commotam esse luculenter et signate tradit³⁷⁾.

Omnium vexationum, quibuscum Christiani M. Antonino regnante conflictati sunt, nulla magis celebrata est ista, quae Christianos Lugduni in Gallia commorantes opprimebat. Exstat de ea, quod iam monui, narratio ecclesiae Lugdunensis nomine exarata³⁸⁾, in qua licet multa occurrant tragice dicta, et ultra iustos fines pinguius aucta, prodigiosa ubique captante auctore, tamen fucō et pigmentis detersis summa eventorum ex ea recte intelligi potest. Et est narratio cognita non indigna, si iustas eiusmodi persecutionum notiones animo informare velis. Quodsi enim a paucis quibusdam vexationibus, inde a seculo tertio medio, a Decio imprimis et Diocletiano imperatis, discesseris, reliquae omnes eodem fere modo, quo Lugdunensis, agitatae esse deprehenduntur. Itaque Lugduni celebrabantur ludi solemnnes, ad quos magna hominum frequentia ex omnibus Galliae provinciis confluebat³⁹⁾. Repetendum memoria, ludos cum religionibus et sacris deorum fuisse coniunctos, quin ludos ipsos tanquam rem diis gratam inter religiones relatos, et in rebus, quibus ad voluntatem deorum sibi

pro-

³⁷⁾ H. E. V, 1. — Κατα τὰ μέρη τῆς γῆς σφοδρῶτερον ἀναρριπισθέντος τοῦ κατ'ἡμῶν διωγμοῦ ἐξ ἐπιθέσεως τῶν κατὰ τὰς πόλεις δῆμων etc.

³⁸⁾ Apud Euseb. l. c. Authentiam eius contra nonnullorum dubitationes vindicavit *Franc. Florius* in diss. de Martyribus Lugdunensibus. Bonon. 1779.

³⁹⁾ V. Euseb. l. c. p. 205. 207. Read. Intelligendi sunt ludi solemnnes a Druso ad aram Augusti instituti, cf. Dio Cass. LIV, 32. T. I, p. 762. cum nota Fabricii.

propitiam reddendam uterentur, habitos esse. Populo itaque sacra numinum suorum reverentia tacto et perculso, et in omnem licentiam effuso quid mirum, si in mentem veniebant Christiani, deorum suorum contemtores, *αθεοι* propterea dicti, et ab eiusmodi festivitatibus, quibus ethnici mirum quantum delectabantur, cum horrore refugientes. Itaque cum numinis affectiones ex suis propensionibus et studiis metirentur, rem diis gratissimam se facturos putabant, si eiusmodi hominum suppliciis iniuriam iis illatam ulciscerentur ⁴⁰). Accedebant rumores, qui satis sinistri de Christianis in vulgus sparsi erant, inprimis memoria thyestearum epularum, et oedipodeorum concubitiuum, quorum ab inimicis insimulabantur ⁴¹). Quae quidem

cri-
⁴⁰) Euseb. I. c. p. 104. — *Και γαρ τους θεους αυτων αanto οτως εκδικησειν.* cf. Epist. eccles. Smyrn. de martyr. Polycarpi ap. Euseb. IV, 15. p. 168. ap. Cotelier. PP. Apost. T. II, p. 199. Furore perciti magna voce clamarunt: *ουτος εστιν ο της Ασιας (αλ. ατεβειας) διδασκαλος — ο των ημετερων θεων καθαριστης, ο πολλους διδασκειν μη θυειν μηδε προσκυνειν.*

⁴¹) Euseb. V, 1. p. 201. — *τουτων φημισθεντων, παντες απεθρηωθησαν εις ημας: ωστε και ει τινες το προτερον διοικειοτητα εμετριαζον, τότε μεγαλως εχαλεπαινον και διεπριοντο καθ'ημαν.* — Polycarpi etiam crimini datum est, quod per Caesaris genium iurare, *dominumque* cum appellare nollet. V. Ep. eccl. Smyrn. ap. Euseb. IV, 15. p. 166. — Illius accusationis, qua Christianis publicae calamitates, aeris coelique intemperies, agrorum infecunditas, aquarum eluviones, pestes, terrae motus et s. p. imputabantur, ob eam rationem, quod gentili-um dii ab iis non colerentur, huius, inquam, accusationis, quam
sac-

criminationes licet falsissimae essent et tantum non absurdae, tamen credula plebs facile ⁴²⁾ adduci poterat, ut fidem iis adiungeret et accommodaret. Concubitus incesti suspicioni probabilitatem aliquam affingebant conventus Christianorum nocturni, qui iidem in causa erant, cur *latebrosi et lucifugi*, flagitiis suis caliginem iniicientes, ab ethnicis salutarentur. Obscura autem fama de usu *eucharistiae*, in qua Christi corpus se edere, et sanguinem illius bibere profitebantur Christiani, ad gentiles propagata criminationi, carnem humanam ab iis devorari, facilem ansam praebebat ⁴³⁾. Igitur quicumque Christianorum odio concitati erant propterea quod ex recepta religione lucri aliquid faciebant, pontifices, augures, aruspices, coniectores, harioli et s. p. plebem credulam et imperitam facillime poterant commovere et exasperare. Cui quidem rei non aliud tempus aptius et accommodatius erat quam illud ludorum solemnium, qui magna hominum frequentia celebrabantur. Est enim hoc a natura menti humanae insitum, ut homines in magnos coetus congregati facilius exasperentur et inflammentur, ita ut moderatiores etiam hac tanquam contagione arrepti

saepissime commemorant Tertullianus, Minucius Felix, Cyprianus, Arnobius, alii, neque in ep. eccles. Smyrn, neque in literis eccles. Lugd. mentio iniicitur. Videtur itaque exeunte demum saeculo II. et ineunte tertio locum habuisse.

⁴²⁾ Exstant de his criminationibus libri notissimi *Kortholti*, *Huldreichii*, *Gruneri*, *Gudii*, aliorum. cf. Pactz. l. c. p. 19. not.

⁴³⁾ cf. fragmentum Irenaeo tributum ap. Oecumenium in comm. ad 1 ep. Petri c. 3. in ed. opp. Irenaei a Massueto curata p. 343. Hunc ipsum Irenaeum auctorem epistolae eccl. Lugd. fuisse et fragmentum laudatum ex illa ipsa epistola, quam Eusebius abbreviatam dedit, esse repetitum, defendit Massuet diss. II. ad Iren. §. 60. p. CVI. quem multi sequuntur sunt.

arrepti insaniant. Sic igitur Lugduni vulgus, tumentibus per omne motuum et affectuum genus mentibus, Christianorum necem a provinciae rectore flagitabat. Desperabat hic, qui praeterea Christianis iniquior fuisse videtur, populares motus sedari posse, nisi Christianorum nonnulli furori eius condonarentur. Itaque in iudicium vocati sunt, non omnes quidem, qui coetum Lugdunensem constituebant, sed insigniores, quorum labore, studio, ardore res Christiana illius loci maxime contineri videbatur ⁴⁴). Adscita est quaedam iuris species. Quaesiti testes nefandorum criminum, quorum Christiani insimulabantur, quam in rem cum faciles se praeberent vilissimi quidam homines comminationum metu perculsi ⁴⁵), satisfactum videbatur imperatorum legibus, quae Christianos nonnisi criminis convictos interfici vetabant. Accendebat populi rabiem, praesidisque iram Christianorum pertinacia, quorum plerique fanatico martyrii amore correpti magistratus admonitiones negligebant, nec ad quaestiones propositas ^{interrogabant}, sola Christianismi professione contenti ⁴⁶). Itaque varii generis tormentis, quibus constantiam eorum, quam obstinatissimae mentis duritiem interpretabantur gentiles, concutere et convellere frustra laborabant, excruciiati, tandem supplicio affecti animam efflarunt.

Hoc unum monendum restat, vehementer a vero aberrare, quicumque Eusebii non tam auctoritatem quam iudicii rationem sequuti, quae

⁴⁴) Euseb. I. c. p. 201. Comprehensus esse *τους σπουδαιους και δι'ων μαλιστα συνειστηκε τα ενθαδε* cf. p. 200.

⁴⁵) V. Euseb. p. 201.

⁴⁶) Euseb. p. 201. cf. Ep. eccl. Smyrn. de martyr. Polycarpi ap. Euseb. IV, 15. p. 168. (in Cotelerii PP. Ap. II. p. 199.)

quae in uno Galliae angulo lacta sunt, ea ad omnes imperii Romani provincias transferenda putant ⁴⁷). Aliunde quidem constat, passim aliis etiam in locis M. Antonino regnante Christianos vexatos esse. At per universum orbem Romanum flagrasse persecutionem vana est coniectura, omni historicae fidei fundo destituta. Ne illud quidem recte asseveratur, iis in locis, quibus Christiani afflicti sunt, magnas seu ingentes eorum strages editas esse. In vexatione Smyrnensi cum Polycarpo duodecim mortem subisse traduntur ⁴⁸). Nec Lugduni omnes in societatem Christianam adscripti perierunt, sed ii tantum, ad quos rei Christianae summa redire videbatur, vel qui alacriter prosiliebant, Christianorum causam defendebant, magistratusque cru-

⁴⁷) Euseb. V, 1. p. 197. (p. 251. Stroth.) — *μυριαδας μαρτυρων ανα την οικουμενην διαπεψαι στοχασμα λαβειν εστι απο των κατ' εν εθνος συμβεβηκτων.* cf. c. 2. p. 211. (p. 270. Stroth.) — Moshemius l. c. p. 244. „Eidem ratione *sine omni controversia* in reliquis provincias res gesta fuit.“ Idem provocat ad Iustini Apol. II. c. 1. p. 88. Ben. — *τα πανταχου υπο των ηγουμενων αλογως (contra Christianos) πραττομενα.* Sed quis non videt, illud *πανταχου* populariter interpretandum esse, ut nostrum Ueberall? Omnino virorum doctorum in hac causa argumentandi ratio saepius mirationem facit. Sic quod sub Antonino Pio Peregrinus ille, postquam ad sacra Christianorum transierat, a praeside Syriae in carcerem coniectus esse refertur a Luciano (de morte peregr. opp. T. VII. p. 427.) e quo tamen mox dimissus est (ib. p. 430.), hinc colligunt, Lucianum testem esse gravissimum *atrocissimarum vexationum*, quibus Christiani a gentibus sint adfecti. V. Walch in novis commentariis soc. sc. Goett. T. VIII. p. 20.

⁴⁸) Ep. eccl. Smyrn. ap. Euseb. p. 171. ap. Coteler. §. XIX. p. 202.

crudelitatem et iniustitiam acerbo sermone increpabant. Itaque ad modicum numerum martyrum, quae iactatur, immensa multitudo revocanda videtur ⁴⁹⁾.

Forte plerique eorum, qui haec nostra legerint, iam dudum mirantur, edicti illius celeberrimi, quod ab imperatore ad commune Asiae in gratiam Christianorum scriptum esse fertur ⁵⁰⁾, nullam adhuc a nobis mentionem iniectam esse, praesertim cum causae nostrae illud egregie inservire videatur. Enimvero nobilissimum hoc edictum ita comparatum esse putamus, ut nihil ad historiae fidem inde colligi posse nobis persuasum habeamus. Iam primum si de auctore eius quaeritur, satis constat in diversas partes abire viros doctos, dum alii illud cum Eusebio Antonino Pio, alii M. Antonino assignandum putant ⁵¹⁾. Quae quidem quaestio nostra sententia facilem habet solutionem. Cum enim M. Aurelii Antonini nomen
 praec-

⁴⁹⁾ cf. omnino locus Origenis, hominis doctissimi et veri amantissimi, contra Celsum III, 8. T. I. p. 452. Ben. „ολιγοι κατα καιρους και σφοδρα ευαριθμητοι υπερ της χριστιανων θεοσεβειας τεθνηκασι“, quem vulgares argutiae eludere non possunt.

⁵⁰⁾ ap. Euseb. H. E. IV, 13. p. 159. (p. 202. ed. Stroth.) Exstat idem, quanquam textu multis in locis discrepante, ad calcem Apol. I. Iustini M. p. 85. Ben. sed ab alia manu adiectum.

⁵¹⁾ Vulgaris opinio illud Antonino Pio tribuit. M. Antonino vero idem vindicarunt VALESIIUS, PEARSON, PAGI, GRABE, DODWEL, alii. *Baratier*, (l. c. p. 196sq.) ut nodum solveret, a Pio cum Marco filio communi consensu hoc edictum emissum esse statuebat.

praescriptum habeat, huius auctoritate illud venditatum esse non est, cur dubitemus ⁵²⁾. Sed maioris indaginis est quaestio, num pro genuino et sincero, an vero pro spurio et commentitio habendum sit. Nobis quidem certum est, M. Antonino illud omnino abiudicandum esse. Quod quidem non sine gravissimis rationibus fieri, cum vel sola edicti attenta lectio, animo ab omni cupiditate remoto instituta, satis docere possit, illud in latinam linguam conversum subiicere placet. Est itaque in haec verba conceptum:

„Imperator Caesar M. Aurelius Antoninus Augustus,
Armenicus, Pontifex Maximus, *tribunitiae pot. XV.*
 Consul III. Communi Asiae S.

Equidem scio ipsis diis curae esse, ne huiusmodi homines (Christiani) lateant. Multo magis enim illis quam vobis convenit, poenas repetere ab iis, qui ipsos adorare recusant. Contra quos dum tumultum concitatis, eos tanquam atheos accusando, in sententia semel suscepta eos amplius confirmatis. Omnino obtabilius iis fuerit, ut in ius vocati mortem pro deo suo oppetere videantur, quam ut in vita maneant. Itaque superiores evadunt, animam potius proiicientes, quam ut vobis obsequantur. Ad terrae motus autem, qui vel evenerunt, vel etiamnum eveniunt, quod attinet, consentaneum est, vos, qui ea de causa animum despondetis, admonere, ut res vestras cum illorum moribus et institutis conferatis. Atque illi quidem maiorem tunc in deo fiduciam collocant. *Vos vero per omne illud tempus, quasi rerum divinarum inscii, deos et ceremonias negligitis, cultumque dei immortalis insuper habetis, Christianos autem, qui eum*
vene-

⁵²⁾ Apographum ad calcem Iustini nomen quidem T. Aelii Adriani h. e. Antonini Pii prae se fert. Sed inscriptionem a senioris aetatis scriptore interpolatam esse dubitari nequit.

venerantur vexatis et ad mortem usque persequimini. Ceterum de his hominibus (Christianis) multi iam antea provinciarum praesides divo patri nostro scripserunt. Quibus ille rescripsit: nihil molestiae iis faciendum esse, nisi forte contra Romanum imperium aliquid moliti esse deprehendantur. Quin etiam ad me multi de iis retulerunt, quibus ego respondi patris mei sententiam sequutus. Quodsi quis porro adversus aliquem illorum, ut talem, (ex eo, quod Christianus sit) actionem instituat, delatus quidem crimine absolvatur, licet talis esse compertus fuerit, delator autem poenas luat.”

Nisi omnia nos fallunt, tot *voſeizs* indicia huic rescripto insunt, ut nullo modo pro vero et genuino haberi possit. Iam primum ipsa inscriptio difficultates habet inextricabiles, manifestis quippe historicis peccatis laborans. Multo magis autem me movet universum argumentum, totum illud ad Christianorum mentem conceptum. Rectene itaque ethnicis obiici poterat, in publicis calamitatibus deorum religiones ab iis negligi et insuper haberi? Quis porro imperatorem, quem, si vel maxime a caedibus et suppliciis Christianorum abhorrebat, eosdem tamen tanquam fanaticam turbam contempsisse certum est, a pietate et virtute Christianos ita laudasse in animum inducat, ut eorum exemplum ethnicis etiam imitandum proponeret? Mitto multa alia, quae commemorari poterant, ut silentium antiquiorum scriptorum, totius rescripti formam et habitum, stili barbariem et inscitiam, licet illud non e latino exemplari conversum esse appareat. Brevitati enim cum consulendum sit, lectores, qui plura cupiunt, ad *Moylium* et *Haffnerum* ablegasse sufficiat ⁵³).

D 2

Verbo

⁵³) Fraudis vestigia iam odorati erant *Dodwel* de pauc. mart. §. 34. p. 66. *Reimarus* ad Dion. LXXI, 3. p. 1172. §. 10. *Heyne* ad Guthrie

Verbo saltem attingenda restat narratio, notissima illa et pervagata, de legione fulminatrice, qua nihil celebratius est apud scriptores Christianos ⁵⁴). Fabulosis commentis rem gestam oneratam esse fatentur omnes, qui in his rebus aliquid intelligere audent ⁵⁵). Res in facto posita est, M. Antoninum in bello cum Marcomannis et Quadis a. 174. gesto, cum in fauces montium compulsus, circumiacentibus locis ita ab hostibus conclusis, ut aqua nulla ex parte haberi posset, haud procul abesset, quin cum toto exercitu periret, pluvia et tempestate inopinata e praesentissimo periculo evasisse. Qua de re dubitari non potest, cum in ea consentiant scriptores ethnici complures ⁵⁶), columna quoque cochlis Romae hodieque
exstans

Guthrie hist. IV. p. 984, alii. Data opera autem authenticam eius impugnarunt Moyle l. c. p. 712-723. et Haffnerus in comm. de edicto Antonini Pii pro Christianis ad commune Asiae. Argentor. 1781. 8. qui idem Hegelmaieri disp. a. 1777. editam, qua nominato imperatori hoc edictum vindicare studiose contendebat, confutavit.

- ⁵⁴) Vid. Tertull. Apolog. c. 5. ad Scapul. c. 4. Euseb. H. E. V, 5. p. 214 sq. (p. 275. ed. Stroth.) Gregor. Nyssen. opp. T. II. p. 937. sq. ed. Par. 1715. Oros. VII, 15. p. 492. (in Gallandii biblioth. IX. p. 142.) Xiphilin. in comp. Dionis LXXI, 9. p. 1183.
- ⁵⁵) cf. inprimis Moylli epistolae ad Kingium de hac re scriptae, quas latine conversas Moshemius syntagmati dissertationum ad disciplin. sanctior. pertin. inseruit p. 621-891.
- ⁵⁶) Vid. Dio LXXI, 8. p. 1182. c. 10. p. 1184. qui tamen multa fabulosa de suis copiis admiscuit, Capitolin. in M. Anton. c. 24. p. 382. Aelius Lamprid. in Ant. Heliogab. c. 9. Themistius or. XV. p. 191. ed. Petav. Claudian. de sexto consulatu Honorii vs. 342-352. T. II. p. 468. ed. Gesner.

exstans memoriam eius servet. Reliqua omnia ad *iudicium* hominum referenda sunt, a re gesta sedulo illud seiungendum et semovendum. Itaque licet in re ipsa nihil insit, quod miraculi suspicionem facere possit, homines tamen istius aetatis, Romani aequae ac Christiani, apte ad ingenium saeculi, rem in prodigium convertere maluerunt. Hinc suam quisque cogitandi rationem sequuti, Christiani, quorum nonnullos in exercitu Romano stipendia fecisse ut statuamus nihil prohibet, rem suis ad deum supplicationibus tribuerunt, Romani vero vel ad Mercurium incantationibus magicis in auxilium adscitum⁵⁷⁾, vel ad Iovem pluvium M. Antonini precibus appellatum, tanquam ad beneficii auctorem rem retulerunt⁵⁸⁾. Cum vero inter legiones Romanas una esset *fulmineae* nomine insignita (*κεραυνοφορος*) seriore aetate inde Christiani legionem *fulminatricem* (*κεραυνοβολον*) procuderunt⁵⁹⁾, totam illam e Christianis compositam, quae a fulminibus, precibus suis in hostium perniciem impetratis, id nominis traxerit. Quod autem publicis literis M. Antoninus merita Christianorum praedicasse, iisque exercitus servati gloriam tribuisse fertur, non alia praeterquam Tertulliani, quem plures sequuti sunt, fide traditum est, cuius pia credulitas sibi id persuaderi passa est. Quae vero hodieque

57) Vid. Dion. l. c. Nec tamen Marcus ipse Mercurio opportunam pluviam imputavit, ut scribit Pagi ad. a. 174. n. II, perperam tum ad Dionem, tum ad numum eius rei testem provocans. cf. *Eckbel* doct. num. vet. P. II. Vol. VII. p. 60.

58) Claudian. l. c. vs. 349. 350. — Omne tonantis obsequium Marci mores potuere mereri. In columna quoque Antonini Iupiter pluvius conspicitur super exercitum Romanum largiter effusus.

59) cf. Reimar. ad Dion. LV, 23. p. 795, et ad LXXI, 9. p. 1184. §. 48.

hodieque exstat huius argumenti epistola, Iustini Apologiae I. assuta, impudentissimae fraudis indicia habet tam manifesta, ut vel hebetioribus se ingerant. Itaque plurimi etiam eorum, qui miraculum legionis fulminatricis tuentur, spuriam et supposititiam eam esse concedunt ⁶⁰).

⁶⁰) cf. *Scaliger* ad Euseb. Chron. p. 222. *Salmas.* ad Capitol. c. 24. p. 725. *Huet.* dem. evang. III. p. 19. *Pagi* l. c. *Westenbergii* divus Marcus opp. T. III. praefat. p. X sq. Itaque non audiendi sunt, qui authenticam eius defendunt, quibus *Mansium* in not. ad Natalis Alex. H. E. T. III. p. 298 sq. se adiunxisse, est quod mireris, sed nec ii, qui rem tanquam incertam in medio relinquendam putant, ut *Gudius* in Pagano Christ. laudatore p. 89.

Progrediendum nunc erat ad reliquas Christianorum sub imperatoribus Romanis persecutiones. Sed quae de iis dicenda sunt, in hanc disputationem includere non possumus. Itaque seponenda ea et in aliud tempus servanda sunt.

Quod vero officii ratio adhuc a nobis flagitat hoc est, ut vobis, CIVES ET COMMILITONES HUMANISSIMI! indicamus dies festos Pentecostes, pie et religiose celebrandos. Sacri sunt hi dies, quod neminem vestrum latet, memoriae *spiritus sancti* in Apostolos profusi, quo quidem effectum est, ut omni tarditate abiecta, metu omni profligato, religionis doctrinam

trinam tanquam divino numine afflati lacti ac imperterriti profiterentur, traderent ac propagarent. Itaque singularem hanc dei sapientiam ac benignitatem, qua doctrinam sanctissimam et ad virtutem pietatemque hominum animis instillandam cum maxime comparatam, late per terrarum orbem propagandam et disseminandam curavit, grata ac pia mente nobiscum veneramini, omnibusque viribus contendite, ut tum ipsi huius doctrinae diligenti meditatione et commentatione fructus eius uberrimos percipiatis, tum generosis sensibus moribusque homine Christiano dignis aliis quoque eandem commendatis, eosque ad similem virtutem pietatemque inflammetis.

P. P. Rostochii d. xxviii Maii MDCCIII.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

hodieque exstat huius argumenti epistola, Iustini Apologiae I. assuta, impudentissimae fraudis indicia habet tam manifesta, ut vel hebetioribus se ingerant. Itaque plurimi etiam eorum, qui miraculum legionis fulminatricis tuentur, spuriam et supposititiam eam esse concedunt ⁶⁰).

⁶⁰) cf. *Scaliger* ad Euseb. Chron. p. 222. *Salmas.* ad Capitol. c. 24. p. 725. *Huet.* dem. evang. III. p. 19. *Pagi* l. c. *Weitenbergii* divus Marcus opp. T. III. praefat. p. X sq. Itaque non audiendi sunt, qui authenticam eius defendunt, quibus *Mansium* in not. ad Natalis Alex. H. E. T. III. p. 298 sq. se adiunxisse, est quod mireris, sed nec ii, qui rem tanquam incertam in medio relinquendam putant, ut *Gudius* in Pagano Christ. laudatore p. 89.

Progrediendum nunc erat ad reliquas Christianorum sub imperatoribus Romanis persecutiones. Sed quae de iis dicenda sunt, in hanc disputationem includere non possumus. Itaque proponenda ea et in aliud tempus servanda sunt.

Quod vero officii ratio adhuc a nobis flagitat hoc est, ut vobis, CIVES ET COMMILITONES HUMANISSIMI! dicamus dies festos Pentecostes, pie et religiose celebrandos. Meriti sunt hi dies, quod neminem vestrum latet, memoriae spiritus sancti in Apostolos profusi, quo quidem effectum est, omni tarditate abiecta, metu omni profligato, religionis doctrinam

